

Et, ne aliquid prætermisisse videamur, ultra pecuniariam significationem *As* etiam dicitur quæcumque res integra, sive continuis, sive discretis partibus conflata, quam deinde in partes duodecim dividamus. Sic Veteres, exempli gratia, Hæreditatem *Assem* appellaverunt, ejusque partes uncias: ita ut ille Hæres ex *Asse* diceretur, qui integram hæreditatem acciperet: ille verò ex *Quadrante*, *Besse*, *Semisse*, &c. qui quartam partem, vel duos Trientes, vel Sexuncias reciperet. Sic Cicero in Oratione pro Cecina: *Testamento facto mulier moritur: facit hæredem ex deunce, & Semuncia Cecinam; ex duabus Sextulis M. Fulciniam libertum superioris viri, Æbutio Sextulam adspersit.* Quibus verbis significat Cicero, Cecinam institutum fuisse hæredem ex unciis undecim, id enim est deunx, & præterea ex semuncia. Aliam vero semunciam, quæ ad *Asis* complementum deest, in duas partes inæquales dissectam: datasque duas sextulas, hoc est duas sextas unciaë partes, id enim est sextula, Fulcinio, unam vero sextulam Obutio: tres enim sextulæ semunciam constituunt: atque ita totus *As* conficitur, quem in tres hæredes Mulier illa dividit. Eodem spectat illud Juvenalis

B 4

Unccio-